

V.
22366a.
e/h-f.

23663. V. 2. e. 2. m. 7.

OBSERVANDA



in canonica episcopali Visitatione in Diocesi Labacensi.

1. **Q**uamprimum Curato loci instans Celsissimi et Reverendissimi Principis Episcopi canonica Visitatio ex officio innotuerit, ipse populo e suggestu promulgabit, Episcopum ad visitandas singulas parochias, aliasque curatias venturum esse, et quidem his de causis, quarum illas, quæ populum proprie concernunt, eidem simul indicabit.
Venturus autem est:
 - a.) Ut, cui superioris pastoris onus et regimen incumbit, non tantum pastores sibi subditos, sed illorum etiam oves noscat, earumque indigentis spiritualibus prospiciat.
 - b.) Ut comperiat, et quodammodo suis oculis videat, quomodo Curati salutem suorum subditorum invigilent, pro quorum animabus rationem reddituri sunt; an verbo, exemplo et sacramentis gregem suum rite pascant; an, et quomodo verbum Dei prædicent; an inprimis ceream juventutem in doctrina christiana sedulo erudiant; an infirmos invisant, et pauperum curam gerant, qua ratione divina officia peragant, et præscriptum publicæ devotionis ordinem observent; an, et quomodo piæ foundationes executioni mandentur.
 - c.) Ut tam parvulorum, quam adultorum examine convincatur, an sanam in fide et moribus doctrinam hauriant; an divino cultui, sermonibus sacris et catechesibus intersint; an ad examen solitum compareant; an tempore paschali præcepto confessionis et communionis satisfaciant; an nulla in populo scandala grassentur, sed, qualis Christi fideles decet, pietas, integritas et honestas dominetur.
 - d.) Ut de statu ædium parochialium, præcipue vero de ecclesiis, earumque vasis sacris, altaribus, baptisteriis, imaginibus, reliquiis, paramentis et omnibus ad usum sacrum pertinentibus inquiret, et inspiciat, ne quid mancum, aut indecens existat, sed omnia ita comparata sint, ut domum Dei decet, ejusque sanctitudinem.
 - e.) Ut Curatos loci, ecclesiæ syndicos et aliquos a parochianis deputatos, qui requisiti coram Illo comparere debent, audiat, eorum querelas aut preces excipiat, tum ut quilibet fidelium vel difficultatem aliquam proponere, vel ab aliquo fortasse casu Episcopo reservato absolvi cupiens, id faciendi occasionem opportunam habeat.
 - f.) Ut factis pro vivis et defunctis suffragiis, Sacramentum Confirmationis iis, qui ejusdem sunt capaces, administret.
2. Qua occasione Curatus loci populo annunciabit, Episcopum iis duntaxat Sacramentum hoc administraturum esse, qui schedula a Curato subscripta probare poterunt, septennio se esse majores, et rudimentis doctrinæ christianæ pro ætatis modulo imbutos. Hunc in finem Curatus pro virili parte confirmandos ad dignam hujus Sacramenti perceptionem præparet, et tam hos, quam illorum paternos de ceremoniis in ejus administratione edoceat, et moneat, ut a genitoribus non eligantur patrini hæretici, aut manifeste scelerati; ut in ipso administrationis actu omnis tumultus, compressio et confusio evitetur; ut, si fieri potest, mares a feminis separentur; ut patrini confirmandorum nomina a nomine baptismi differentia incunctanter indicent; ut manum dexteram super humerum dexterum parvuli, dum confirmatur, teneant, neque plures, quam duos, vel tres confirmandos simul Episcopo præsentent, et denique ultimam Episcopi benedictionem in ecclesia præstolentur.

3. Porro Curatus loci populo significet, indulgentiarum ab Episcopo in die canonicæ visitationis concedendarum tantum illos utriusque sexus Christi fideles participes futuros, qui vere pœnitentes et confessi, ac S. Communionem refecti, ecclesiam ab Episcopo visitatam in actu visitationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

4. Episcopi adventus campanarum pulsu significabitur, qui, nisi eadem die canonicæ visitationi locus fuerit, illico, dum venerit, in ecclesiam, et inde in domum parochialem se conferet; si vero visitatio hac ipsa die suscipienda sit, statim domum parochialem ingreditur, et inde præcedente scholari juventute, et comitante clero transibit in ecclesiam, baldachini usu interdito.

5. In introitu ecclesiæ Curatus Crucifixum osculandum tradit Episcopo, atque aspergillum, qui clerum ac populum aspergit, et acceptis mitra et baculo pastorali imponit incensum, et a parocho thurificatur.

6. Curatus loci intonat sequens responsum:

Ecce Sacerdos magnus! Et profectitur Clerus, vel chorus cum organo:

Qui in diebus suis placuit Deo.

Ideo jurejurando fecit illum Dominus * crescere in plebem suam.

Benedictionem omnium gentium dedit illi * et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Ideo jurejurando fecit illum Dominus * crescere in plebem suam.

Gloria Patri et Filio * et Spiritui sancto.

Ideo jurejurando fecit illum Dominus * crescere in plebem suam.

Incepto Responso processio ordine suo progreditur ad altare majus, Episcopus vero sequitur benedicens populo.

7. Ante infimum altaris gradum, depositis mitra et baculo, procumbit Episcopus super pulvino et genuflexorio prius ibi parato, et orat; Curatus vero loci stans in plano in cornu epistolæ ad Episcopum versus cantat sequentes versiculos respondente Clero, vel choro cum organo:

Ÿ. Protector noster aspice Deus!

℞. Et respice in faciem Christi tui.

Ÿ. Salvum fac servum tuum.

℞. Deus meus sperantem in te.

Ÿ. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

℞. Et de Sion tuere eum.

Ÿ. Nihil proficiat inimicus in eo.

℞. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Ÿ. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Deus humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris, præ-tende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum.

℞. Amen.

8. Mox cantatur a Curato, vel choro Antiphona de Patrono ecclesiæ visitatæ, et quidem ante-meridiano tempore ex Laudibus, pomeridiano ex Vesperis una cum versiculis congruentibus;

interim vero Episcopus accepta stola ad altare accedens recitat Collectam iisdem correspondentem ex Missali antecederet aperto in cornu epistolæ; tum imposita mitra et accepto pastorali baculo benedictionem pontificalem impertitur; Decanus autem, vel Curatus annunciat indulgentias, et, si tempus admiserit, succincta oratione finem supradictum canonicæ visitationis populo in memoriam revocat.

9. His peractis vel ab ipso Episcopo, vel illius Capellano celebratur sacrosanctum Missæ Sacrificium cum præscripto dulcisono cantu. Pro Episcopo semper Humerale, et Alba recens lota adsint.
10. Post Missam Episcopus stola et pluviali, si adest, nigri vel violacei coloris, indutus intonat Antiphonam: Si iniquitates etc. et fit processio ad cœmeterium, vel, si illud nimis disitum sit, circa ecclesiam, vel tempestate incommoda, in ecclesia, recitando clara voce Psalmum: De profundis; Tum Libera cantatur ante Crucifixum super expansa nigra mappa inter accensa candelabra positum; sub reditu vero Psalmus: Miserere recitatur, etc.
11. Postquam Episcopus stola et pluviali coloris albi, si habetur, fuerit indutus, incensat Sanctissimum, et cum Ostensorio benedicit populo, a quo solitum Trisagium decantatur; deinde visitat tabernaculum etc.
12. Deposito pluviali pergit Episcopus visitare capsulam cum SS. Liqueorum vasis, et bursas, altaria per ordinem, sacras Reliquias, et Imagines, Confessionalia, Baptisterium, et demum in Sacristia Calices, Corporalia, Purificatoria, Missalia, varia sacra Indumenta, tabulam Missarum fundatarum etc.
13. Deinde proles, et adulti in Ecclesia ab Episcopo, vel Curato loci examinantur, et examine finito Sacramentum Confirmationis ministratur.
14. Reverso tandem Episcopo in domum parochialem exhiberi debent libri baptizatorum, copulatorum, mortuorum, denunciationis sponsorum, annotationes Missarum tam fundatarum, quam aliarum, Protocolum, cui decreta tam summi Principis, quam Episcopi ad Clerum pertinentia inseri debent, Catalogus parochialis, vel liber examinis paschalis, Matricula etc. quibus ex ordine inspectis præter illos, qui Dominium et Patronum repræsentant, et a Curato humaniter invitandi sunt, audientur etiam syndici ecclesiæ, deputati communitatis, Parochus loci cum suis Cooperatoribus, et denique ludimagister, cujus pædagogium, five schola postremo visitabitur.
15. Decanus per omnes sui decanatus parochias comitabitur Episcopum, nisi aliter ab Episcopo statutum fuerit.
16. In locis montanis bigis Episcopi imperviis, si fieri potest, duo leviora carpenta, seu vehicula ingenio locorum magis congrua parata sunt, nisi Episcopus equitare maluerit.
17. Immodica et diuturna convivia Episcopus nec expetit, nec sibi placitura esse fatetur, quia Curatis inutiles creare solent sumptus, et nimium temporis absumunt, gravioribus visitationis negotiis impendendi.
18. Peracta sic visitatione canonica et omnibus expeditis, cum discedere voluerit Episcopus, sub pulsu campanarum accedit ad ecclesiam, et peractis ibi precibus præscriptis prosequitur iter.

1. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

2. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

3. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

4. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

5. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

6. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

7. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

8. In nomine domini Amen. Collectio ista est...

9. In nomine domini Amen. Collectio ista est...